



Q. B. V.

DE

1696 19/15

PRÆJUDICIIS,

Sub

PRÆSIDIO

M. ANDREÆ Löfffers /

F A C. PHIL. ADJ.

publice differet

CHRISTIANUS ANDREÆ,

Hala-Saxo,

In Auditorio Majori,

Ad D. 14. Mart. 1696.

H. C.



VITENBERGAE.

EX FORMIS CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

Q. B. N.
P. B.
BRABUJUDICIS
205
R. W. S. P. I. O.
M. A. N. T.
Koen. Fried.
Univers.
Zu Halle
publice dilecti
CHRISTIANUS
In Audi. or. M. J. J.
M. D. M. M. J. J.
H. C.
P. T. E. M. B. E. R. G.
Ex Formis Christiani Schenckii





Non parum damni afferre studiis diversa multorum hominum ingenia, neminem veritatis amantem inficiaturum fore arbitrator. Multi enim, cum eruditionis inopia laborent & tamen gloriam captent ac emergere cupiant, in eo toti occupati sunt, ut aliorum gloriæ detrahant, & in aliis carpendis terant tempus, meliori destinandum negotio. Equidem si æq; facile esset, magna & egregia præstare quam omittere, tot invidiæ mancipia vix se offerrent. Verum cum arduum ac difficile sit magna moliri & propria virtute inclarescere, multa hominum pars criminari libentius & carpendo obscurare solet, quæ consequi se posse desperat. Præter hos dantur alii, quos neq; ingenium quidem nec eruditio plane destituit, ut via ipsis ad honores ac gloriæ gradum impervia haud sit; sed dum nimium sibi tribuunt, aliosq; pares perferre ægre patiuntur, quasi monopolium sapientiæ sibi solis reservetur, contemnunt reliquos, & sic toti literato orbi inutiles evadunt. Alii aliis laborant vitiis, quæ & in vulgus nota sunt, & sic satius prætereuntur. Ex hac autem ingeniorum diversitate tot contentiones, disceptationes, rixæ & turbæ oriuntur, quæ omnem discentium ardorem sufflaminant, Musarum quietem evertunt, & studiis innocentibus odium ac ruinam conciliant. Singuli autem se probe rem curasse putant, dummodo obtineant, quod volunt; sive de cætero cum commodo sive detrimento, cum jure vel injuria labores sint conjuncti. Hoc negari nequit, eam hominum conditionem esse, ut facile labantur; unde &

cælo digna nomina quandoque cum Homero dormi-
tarunt. Neque illud a veritate alienum, inventis facile,
esse aliquid addere, & multa nostris temporibus in stu-
diis philosophicis esse inventa, veteribus vel plane in-
cognita, vel nondum ab iis tacta. Nemini proinde vi-
tio vertendum, si non in omnibus cum altero consen-
tiat & in veterum sententiis emendandis, corrigendis
& augendis suam collocet operam. Verum modeste
hæc fiant, & eo loco, ubi necessitas postulat, nec non
hoc fine, ut ad veritatem & proximi utilitatem semper
habeatur respectus. Quando vero multi ex ambitione,
arrogantia, novitatis & singularitatis studio negotium
aggrediuntur, nec in veritate, sed scommatibus, contu-
meliis & obtreptionibus acquiescunt, res cum sum-
mo studiorum periculo & ruina conjuncta est. Hinc om-
nes, quia alii videri volunt, ac revera sunt, crepant,
præjudicia, quæ tamen ab adversario sæpe nõ commis-
sa, sed in proprio saltem hominis maleferiati cerebro
enata sunt. Videat autem quilibet, ne in judicando ho-
nestatis & charitatis christianæ limites transgrediatur,
nec plus faciat, quam salva conscientia potest. Nam nec
omnia probare, nec omnia reprehendere consultum:
hoc uti fastuosum & malignum; ita illud socordem &
tardum indicat hominem. Optimum ergo fuerit, ita
versari circa aliena, ut non iudicium saltem, sed & æ-
quitatem ad ea afferamus; nec dum veritatem secta-
mur, humanitatis faciamus jacturam. Hoc, non alio a-
nimo præjudicia, quibus maximum studiorum da-
mnum passim tribuitur, examinabimus, non tam ut
alios corrigamus, quam ut nobis ipsis caveamus. Cui
proposito, ut propitium velit esse Numen, submissis
precibus rogamus!

§. I. De

§. I.

DE præjudiciis dicturi originem vocis ante omnia excutien-
dam sumimus. Ubi in antecessum notandum, duabus im-
primis facultatibus gaudere animam rationalem, quibus reli-
quis formis Physicis contradistinguitur, intellectu nempe & volun-
tate. Et quidem intellectus est facultas ad verum cognoscendum
ordinata; voluntas vero ad bonum appetendum. Munia itaque
intellectus sunt, ut res sibi objectas cognoscat ac dijudicet, vel eum
in finem, ut veritatem earum saltem perspectam habeat, vel ut non
solum sciat, sed etiam ea, quæ cognita sunt, agantur: ubi ex priori
intellectus theoreticus, ex posteriori practicus resultat. Omnia autem
quæ ita cognoscuntur ab intellectu, in duplici sunt differentia, vel e-
nim principia sunt, vel conclusiones. Per principia intelliguntur ejus-
modi propositiones manifestæ & per se seu naturâ notæ, quarum
veritas statim cognoscitur, simul ac menti objiciuntur, seu termini
ipsarum intelliguntur simplices. Conclusiones vero tales sunt pro-
positiones, quarum veritas perspecta hæud est, nisi aliunde eruatur,
& vel inductione, vel syllogismo nobis innotescat. Unde integræ
Disciplinæ Philosophicæ nihil aliud sunt, quam habitus ex ejusmodi
conclusionum congerie in intellectu nostro nati. Quod si ergo
ex talibus principiis natura notis legitime aliquid deducatur, id
recta ratio seu rectum intellectus judicium audit. Unde constat,
judicium non esse ipsum intellectum, sed potius factum ejus. In
consideratione enim & cognitione rerum ratiocinamur & judi-
camus, unde ipsum judicium sequitur. Quoties proinde cum
sana ratione vel recto intellectus judicio aliquid congruere pro-
nuntiatur, idem est ac si diceretur, verum illud esse ac certum, vel
quod sit ipsum aliquod principium natura notum, vel potius, quod
ex tali principio per legitimam consequentiam fluat. Cognitis
itaque iis, quæ ad naturam judicii explicandam facere poterant &
unde judicare dicimur, facile etiam erit intelligere præjudicium;
præjudicare enim est quasi ante-judicare & præjudicium quasi
anticipatum seu immaturum judicium, imo judicii defectus est.

§. 2. Ne autem Jurorum reprehensionem incurramus, ob-
servare hic conducit, terminum hunc præjudicii originem suam
debere foro juridico, a quo ad alias deinceps res denotandas in

reliquis facultatibus mutuo fuit desumptus. Non una vero apud JCtos termini hujus acceptio est. Retrocurrit enim nonnunquam cum *lesione* aut *damno*, v. g. quando dicunt: *Privilegia principum alicui concessa non esse cum præjudicio alterius interpretanda*. Item *rem inter hos vel illos actam non præjudicare aliis* &c. Quandoque vero eadem vox *exceptiones* illas *præjudiciales* denotat, quibus reus ita removet agentem, ut adstruat, per actionem ab illo institutam non debere præjudicium fieri actioni principali. Interdum & ad ipsas *actiones* restringitur, quæ *præjudiciales* seu *præjudicia* propterea audiunt, quod iudicium earum prius finiendum sit, & tunc locum habent, quando prius judicari quid debet, antequam ad principale negotium progrediatur. Ut plurimum vero apud JCtos præjudicium pro *re decisa* aut *judicata* sumitur, ut sententiam indicat, a iudice legitime latam & pronunciatam, quæ deinceps in pari causa iudicaturis exemplum præbet, quod sequi possunt, quoniam vim decidendi habet. Ut autem hæc acceptiones ad propositum nostrum non spectent, adducendæ tamen propterea fuerunt, ne quis putet, nos, dum contra præjudicia pronunciamus, illa intelligere, quæ in scholis iuridicis alias observanda proponuntur.

§. 3. Ut vero propius ad scopum perveniamus, ita describere *Præjudicium* liceat, quod sit *iudicium mentis infirmum ex erroneis opinionibus ortum, veritatis consecutionem impediens*. Cur infirmum iudicium dicatur, nemini potest esse dubium, nempe quod antevertat iudicium firmum & rectæ rationi congruum; quæ anticipatio fit, si intellectus in rebus cognoscendis seu materiis iudicandis debitam haud adhibet industriam, nec mentis aciem intendit, sed vel in ipsis principiis, vel in illorum applicationibus peccat, vel ab affectibus plane obscuratur. Cumque hic conceptus aliis quoque conveniat, dubitationi v. gr. idcirco vicem generis illum sustinere h. l. posse arbitratur. Differentia desumpta est partim a causa, partim ab effectu. Causam dicimus esse opiniones erroneas, quæ multis modis hominum animos occupare solent, adeoque mentis assensum ad se trahere, antequam recte consideravit intellectus, num veri vel falsi aliquid sublit.

subsit. Hinc effectus facile intelligitur, nempe impeditio veritatis consequendæ, utpote quæ ultro ex prioribus fluit; dum enim per tales opiniones intellectus quasi ligatur, quo minus vires suas exerere possit, ut rectum & firmum evadat iudicium, non potest non veritatis consecutio impediri, quippe quæ ad rectam causæ cognitionem & iustum ratiocinium demum sequitur.

§. 4. Ne quis vero præjudicia cum dubitationibus, opinionibus, ignorantia &c. confundat, notanda erunt quædam eorum adjuncta. Quorum *primum* est: *firmiter esse menti impressum*, quo pacto subjectum præjudicio laborans erroneam opinionem ita sibi persuadet, ut verissimam illam putet, contra quam nemo aliquid in contrarium afferre queat. Ex quo apparet, per hoc ipsum distingvi præjudicium ab opinione, quæ ex argumentis probabilibus oritur in re contingenti, ubi aliquis in sententia non adeo certus est, cum opinio semper cum formidine oppositi sit conjuncta. Ex hoc fluit *secundum*: *cum pertinaci assensu esse conjunctum*. Sic intellectus præjudicio fascinatus ita adhæret falsæ sententiæ, ut nullis rationibus in contrarium possit flecti, quicquid etiam alter dicat. Quæ pertinacia tamen imprimis in præjudiciis affectuum animadvertitur; nec perpetua semper est, sed interdum ad tempus saltem. Nam si nulla plane pertinacia iudicio intellectus juncta, potius levem errorem dixerim. Ex quo simul apparet distinctio præjudicii a dubitatione (quamvis & prius requisitum hoc præstet) quæ est suspensio & ambiguitas animi, in æquilibrio quasi constituti, adeoque circa diversas sententias nec assensum, nec dissensum præbentis, ex quibuscunque demum causis illa suspensio oriatur, de quibus vid. Gisb. Voëtius dispp. Select. p. 3. pag 827. *Tertium*: *ortum esse sine debita intellectus industria*; propterea enim præjudicium audit, quia intellectus debitam causarum connexionem, circumstantiarum & rationum efficaciam aliaque media veritatis cognoscendæ, quæ tamen legitime adhibenti negata non essent, non expectat, sed in iudicando anticipationem committit & quasi ante tempus iudicat, unde etiam satis commode immaturum iudicium dicitur. Quo ipso manifeste differt præjudicium ab ignorantia, quæ communiter impotentiam seu defectum naturalem intellectus con-

671
geni-

genitum vel accessorium, nec non barbariem, quando quis literis ac moribus minime excultus est, denotat, vid. Voët. l. c. p. 632. Utut alias præjudicium cum ignorantia conjungi haud inviti largiamur. Plura possemus adducere adjuncta, sed sufficiant hæc pro chartæ angustia, ex quibus reliqua facile intelliguntur.

§. 5. Missis his, quæ ad naturam præjudiciorum in genere declarandam facere posse videbantur, ad diversitatem eorum pergimus. In hanc autem (relictis distinctionibus inutilibus) non melius penetrare nos posse confidimus, quã excussis causis, ex quibus præjudicia communiter oriri solent. Ubi, quamvis omnia generaliter ad intellectum obscuratum aut seductum referenda sint; hæc tamen remanet distinctio, quod in quibusdam intellectus propria sua culpa peccet & cum possit meliora & saniora sequi veritatis indagandæ media, nihilominus his neglectis aliis se alligare quasi gestiat, & sic vitium in judicando comittat; in quibusdam vero intellectus obnubiletur & confundatur citra propriam culpam, ut veritatem cognoscere nequeat, quod efficere ut plurimum solent affectus. Quibus præsuppositis non incommoda erit distinctio *præjudiciorum in intellectus & affectuum*, quæ tamen distinctio generalis varias admittit subdivisiones, uti mox videbimus.

§. 6. Et quidem quod præjudicia *intellectus* attinet, ubi ille de re minus accurate considerata præcipitanter judicat, varia se offerunt momenta, ex quibus talis præcipitantia oriatur. Primum locum teneant *sensus*. Ex his enim corruptis, aut quacunque de causa male dispositis, si intellectus de re aliqua judicat, *præjudicium sensuum* committit. Sensus enim varias menti imprimunt ideas, quodsi ergo sensus imperfecte recipiant objectum, aut res dijudicanda non ad evidentiam sensuum reducta fuerit, non poterit non exinde talis oriri idea, qua in judicando decipiatur intellectus. Tale præjudicium commisit *Lucret.* lib. 5. qui de magnitudine solis, lunæ, reliquarumque stellarum ex illa apparentia judicavit, quam habent ad visum nimis distantem. Sic qui in loco undique clamoribus repleto constitutus est, de harmonia aut concentu musico judicare non potest. Nec febricitanti concessum est judicare de sapore, cum propter depravatum organum plurima ipsis soleant esse amara. Absit vero ut propterea aliquis tol-
lere

lere velit sensus ceu minus idoneos ad rerum cognitionem, quem-
admodum de Hegesiatis id refert *Diog. Laert. Lib. 2. de vitis Phil. p.*
m. 99. de quibusdam Academicis idem affirmat *B. Dan. Sennertus lib.*
7. Natural. Scient. cap. 1. p. 563. quod omnem fidem sensibus dero-
gaverint. Equidem in excessu peccarunt olim Epicurei, tantum
sensibus tribuentes, ut nusquam nos falli putarent, uti refert *August.*
Lib. 8. c. 7. de C. D. Interim cum Deus & natura nihil faciant frustra,
sensus vero cognitionis gratia concessi sint, lubentes hic assentimur
doctrinæ Physicorum, statuentium sensus circa proprium objectum
errare haud posse, positis nempe legitimis ipsorum requisitis, *justa*
distantia, medio legitimo, & recte disposito organo. De quibus vid.
B. Sennert. l. c. B. Sperl. Lib. 8. Inst. Phys. q. 1. p. 1074.

§. 7. Patet autem ex dictis, quid de illis habendum, qui in Theolo-
gia naturali ejusque veritatibus cognoscendis dubitationem circa eorum
principia & axiomata tanquam causam, principium & tutissimam
viam liberandi homines ab omnibus erroribus & præjudiciis, com-
mendant, eo, quod nulla illorum principiorum habeatur certa co-
gnitio, nec per sensum, nec per intellectum, cum uterque falli possit.
Hæc enim ratio argumentandi, a fallibilitate sensuum ad dubitatio-
nem universalem de omnibus rebus, Pyrrhonismo & Scepticismo
familiaris nulliusque momenti est. Imo præjudicium stultæ argu-
mentationis hoc ipso committitur, de quo mox, quando ex eo, quod
sensus interdum fallendi ansam intellectui suppeditarint, colligitur
sensus semper fallere posse. Hoc enim certis saltem negatis sensuum
requisitis fieri §. præc. notavimus. Et quid dicendum esset de illis
Scripturæ locis, ubi Deus, Salvator & Scriptores S. ad sensuum co-
gnitionem & evidentiam provocant & homines eo amandant? Præ-
terea modus ille concludendi non procedit, quid enim sentiendum
esset de Theologia revelata, num propterea nulla certa Theologiæ
supernaturalis & articulorum fidei ex Scriptura S. poterit haberi
notitia, quod omnes homines possint falli & fallere? num propter-
ea de ipsa Scriptura S. de omnibus articulis fidei dubitandum? Cre-
do quod non, sed hæc expediant Theologi.

§. 8. Secundo loco se offerunt absurda rationes argumen-
tandi, quando ex iis aliquid concluditur, ex quibus vel plane nihil,

B

vel

vel ad minimum illud non sequitur, quod probandum erat. Unde *præjudicia inconvenientis ratiocinationis*. Huic vero inconvenienti & absurda ratiocinationi ansam præbent (1) *termini non recte apprehensi seu perversè intellecti*. Ut enim conceptus nostros aliis manifestare queamus, terminis & notionibus opus est, quibus id commode fiat. Quod si ergo termini non recte intelligantur, & nihilominus ejusmodi falsa terminorum explicacioni argumentum vel ratiocinatio superstruatur, non potest non lapsus judicii sequi. Tali præjudicio olim laborabant Stoici, qui simpliciter affectus extirpandos & eradicandos esse contendebant, eo, quod mali, contra naturam & rationem essent, unde opiniones pravas, judicia levitatis, morbos animi & peccata dicebant. Cum tamen potius sint motus a natura insiti seu facultates naturales. Stoici ergo terminum non recte intelligentes sumebant affectus pro eorum excessu. Eiusdem præjudicii accusandi sunt, qui spiritum in loco esse concludunt ex illo, quod alias sequeretur, spiritum esse nusquam; confundunt enim locum cum ubi seu $\pi\sigma$; aliud enim est localitas, aliud ubietas: non illa, sed hæc spiritui competit. Impingit circa hæc doctrinam *Antonius Le Grand*, qui part. 2. Inst. Phil. art. 8. p. 89. arbitratur: inter præjudicia, quæ a puerili ætate homines hauserint, nullum Philosophantibus periculosius videri, quam illud, quod Aristoteles docet: *Omnia quæ sunt, alicubi esse*. Periculum, quod ex hac sententia metuit, illud est, quod Deus hac ratione non maneat immensus, sed simul cum reliquis substantiis immaterialibus, determinato aliquo loco comprehendatur, adeoque extensionem involvat, quæ tamen spirituali ipsarum essentia plane repugnet. Verum, dum ita sedulo præjudicia evitare studet le Grand, ipse insigne inconvenientis argumentationis præjudicium incurrit; *alicubi enim ipsi idem est ac certum aliquod spatium locale & esse alicubi idem ac spacio locali circumscribi*. In quo tamen maxime fallit. Implicat enim revera esse seu existere, & tamen non esse alicubi seu in aliquo ubi, ex quo statim aliquis posset concludere, spiritum nullibi esse: quod vero nullibi est, id plane non est. *alicubi* ergo generalius sumi debet, quatenus a finito & infinito ubi abstrahitur. Ut adeo ubietas infinita sit, qua quid est in omnibus

bus ubi, s., qva quid, cum hic sit, simul sit ubivis alibi; ubietas vero finita, qua quid est in ubi determinato, idque vel sine vel cum circumscriptione. Prius fit, quando aliquid definitive, si hic est, non simul est alibi, indivisibiliter tamen & sine extensione, quantitativa. Posterius vero, quando aliquid partialiter & divisibiliter in loco circumscribitur. Sic vero & spiritus increatus & creati, nec non corpora ab hoc termino participare possunt. Concedit quidem Le Grand, dici posse, *Deum etiam esse nullibi*, quod quidem largior, si addatur *tanquam in loco*, alias, si generaliter intelligantur verba, multa absurda exinde fluunt.

§. 9. Absit vero, ut ad evitanda hæc præjudicia, quæ ex perverse intellectis terminis oriuntur, omnium terminorum Philosophicorum usum improbare velimus, quorum accurata cognitio potius facit, ne ejusmodi præjudiciis impingamus. Certe, immane præjudicium est, quod Anabaptistæ & cum illis multi alii committunt, dum omnem Philosophiam & debitum ejus usum rejiciunt, eo, quod impediatur studium theologicum. Nunquam illud, credo, assererent, si Philosophiæ naturam haberent perspectam. Est enim illa nihil aliud, quam ipsa rectæ rationis & luminis naturæ dictata, seu principia nobis congenita, & ex iis legitime deductæ conclusiones. Horum vero cum ipse Deus autor sit, non potest illis aliquod impedimentum vel damnum in Theologia adscribi, nisi omnem ejus causam in Deum redundare simul velimus: quod vero impium & absurdum. Objiciunt quidem (liceat hic pauca ex Theologia mutuare, ut objectioni occurramus) Philosophiam esse sapientiam carnis, quæ inimicitia adversus Deum est, juxta Paulum Rom. 8, v. 17. Verum h. m. idem incurrunt præjudicii vitium, dum aliam Apostolo affingunt mentem, quam unquam habuit, intelligit enim ille per sapientiam carnis, non Philosophiam, eamque rectam ac genuinam, sed talem sapientiam, seu insipientiam potius, quam hominis corrupta ratio suggerit, adeoque quæ non in doctos solum, sed etiam indoctos, rudes ac Philosophiæ ignaros cadit. In aliis autem locis idem Apostolus Paulus sæpe Philosophiam corruptam seu Philosophiæ abusum rejicit; ex quibus ergo nihil potest inferri. Mirum autem est, illos etiam, qui defensores tamen Theologiæ esse deberent, in illam quoque propendere

dere sententiam. Cum enim Philosophia ad quasvis res intricatas melius capiendas intellectum nostrum præparet, certe in Theologia etiam omnis plane utilitas ipsi denegari non poterit. Habet quippe Theologia innumeros ferme terminos, ex Philosophia desumptos, quibus res Theologicas exprimit, quorum ergo acceptio ac sensus exinde repetendus est, ut facilius in Theologia intelligantur. Non desunt forte, (ad usum imprudenter trahentes, quæ de abusu intelligenda ab aliis perceperunt) qui terminos philosophicos omnes ex Theologia eliminatos cupiunt, eoque nomine systemata Theologica rejiciunt; verum si unquã præjudicium præcipitantia aliquis commisit, certe hoc est. Quid enim aliud illud foret, quam a via revocare studiosos ad devia, & ingrato animo rejicere maximorum virorum labores, qui laudato conatu ad facilitandum, studium Theologicum talia conscripserunt. Imo quid fieret demum de adversariis, qui communiter tela sua ex ratione depro-munt, quibus veritates Theologicas impetunt, nonne victæ manus ipsis erunt præbendæ, nisi demonstretur, argumenta ipsorum effictis niti atque falsis principiis, vel axiomata philosophica genuina in sensum alienum contorqueri, ac fraudulenter vitioseque complicari? Conferatur hic Scheiblerus in *proem. Metaph.* c. 2. n. 5. qui, ignorantiam Philosophiæ frequenter occasionem fuisse magnorum in Theologia errorum, asserit, idemque exemplo Flacii, Vorstii, &c. confirmat.

§. 10. *Absurdam argumentationem*, & resultantia inde præjudicia juvant etiam (2) *experimenta*, quibus Physica & Medicina imprimis scatent, dum enim ejusmodi experimentum particulare in regulam degenerat, & axioma aliquod universale construit, quod necessitatem quasi assensus aliis imponit, certissime hinc præjudicia oriri manifestum est; fit enim argumentum a particulari ad universale, quod inepte semper concludit. Nihilominus quidam ex modernis Physicis tanta incedunt arrogantia, ut qualitates occultas in universum, antipathias & sympathias rideant, & omnia experimentis & certis causis demonstrare se velle liberaliter polliceantur, cum tamen sæpe inter eos non magis conveniat, quam inter horologia, & uno eodemque experimento plures sæpe utantur ad diversas hypotheses probandas. Ut hac ratione longe melius sit judi-

dici-

dicium eruditissimi viri Gisberti Voëtii part. 3. Dispp. sel. de ignorantia docta p. m. 679. quod ita habet; *In Physicis quamplurima nobis ignota sunt, & aliqua in hac vita non cognoscibilia.* Pauca saltem illorum præjudiciorum adducam, quæ experimentis suam debent originem. Res notissima inter Physicos est, quod soleant numerum & naturam elementorum per genesin, vel quod magis fit, per analysin seu resolutionem corporum in sua minima demonstrare. Hinc tot diversissima pro diversitate sententiarum oriuntur experimenta, quæ tamen raro probant, quod probare debent. v. g. Ita Joh. Bapt. Helmontius probaturus, aquam solam esse elementum, tali experimento utitur, quod nempe acceperit terram aliquot librarum, quam in clibano probe siverit exsiccari, post in vas conjecerit, & addiderit demum aquam, unde arbor orta centum librarum. Ita proinde infert: ex terra nata fuit arbor, & a terra nihil recessit, quam vel quarta pars libræ, nihil autem præter aquam additum, ergo ex aqua excrevit fructus. Verum experimentum illud plane non probat sententiam Helmontii, cum probandum ipsi prius fuisset, aquam extitisse purissimam, & nihil aliud habuisse admixtum. Deinde stetit arbor in aere, qui profecto varia habet effluvia &c. Idem Helmontius de liquore gloriatur, quo mediante omnia corpora in aquam resolvere possit. Sed esto hoc, (de quo vero multi dubitant) non tamen sequitur, corpus est in liquorem redactum, ergo est ex aqua. Ita pro vacuo demonstrando varia solent afferre experimenta, quod aerem possint ex utribus &c. ita extrahere, ut ingrediens vivum moriatur, quo experimento Otto Gerike usus est, cujus prostant experimenta Magdeburgica in folio. Verum hoc experimentum nihil pro vacuo demonstrando facit, cum non omnis, sed crassior solum aer extrahatur, qui ad respirationem facit; hinc etiam est, quod montes altissimos ascendentes vix respirare queant, quia aer ibidem purior est. Neminem quidem mihi tam absurdum fingo, qui experimenta plane ex Physica eliminare vellet, nam necessitas sæpissime talia exigat, ut varia instituantur experimenta chymica, anatomica, mechanica, magica, aliaque id generis, quæ summam certe utilitatem habent. Verum caute hic procedendum est, ne temere fiant, sed talia, quibus ratio lumen

accendat & viam commonstret. Nec axiomata prius ex illis con-
struantur, nisi perspecta sit ipsorum veritas, & an directe faciant ad
rem probandam, nec ne? Alias enim facillime fallunt. Hinc est,
quod Robertus Boyle in tract: Phyf: de experimentorum successu
testetur, maximam partem experimentorum, quæ ab aliis acceperit,
fuisse falsa. Sic Joh: Bapt: Du Hamel recte observat, non esse expe-
rimenta, in quæ casu incidimus, sed quæ certo ordine & fine institu-
ta sunt. Quemadmodum ergo ratio in rebus naturalibus sine ex-
perientia sæpe vaga est & fluctuat, ita vicissim experientia sine ra-
tione cæca est, nec sibi constat, neutra proinde sibi sola sufficit, sed
semper hæc duo conjuungenda, & observandum est & ratiocinan-
dum. Sed hæc expedienda relinqvimus Phycis. Nostrum fuit per
exempla declarare, quomodo præjudicia experimentorum com-
mittantur, & qualis ipsis paranda medela.

§. II. Liceat huc etiam referre ad *inconvenientis ratiocina-
tionis* præjudicia (3) illa, *quando de prudentia vel imprudentia
consiliorum ex eventu judicamus.* Fieri nempe sapissimæ solet, ut
eventus longe aliter cadat, ac unquam alicui fuisset persuasum;
ut hac ratione ineptissimum imo impium consilium bonum pos-
sit nancisci exitum, prudens vero ac pium eventum pessimum.
Qvi vero ex his de natura consiliorum judicare vellet, immane
committeret præjudicium. Sangvinolentum & pessimum erat
consilium, quod fratres Josephi de ejus venditione conceptum in
actum etiam deduxerant, licet ex parte Josephi non solum, sed
integræ ejus familiæ optimus sequeretur exitus. Hoc vero non
consilio fratrum, quod impium & abominandum manet, sed
speciali directioni divinæ erat adscribendum. Qvis quæso ex
omnibus Romani Imperii membris judicasset, bonum a parte no-
stri esse consilium, quod Imperatori Turcarum suppeditatum fue-
rat respectu obsessionis Viennæ; cum tamen nihil felicius atque
melius obtingere nobis potuisset. Absit vero ut propterea dica-
mus, bene illum de nobis sensisse & cogitasse, qvi autor ejus con-
silia fuit. Quamvis ergo bona consilia sæpe comprobantur eventus,
& mala detegit; non tamen ex eventu tanquam certo momento
perpetuo omnia dijudicanda sunt consilia. Hinc, cum necessum
omni-

omnino fit, ut Principes a latere habeant viros prudentes, rerumque peritos, quorum juventur consiliis; bene fecerint, si non uni se mancipent, sed omnes audiant, & libertatem dicendi concedant singulis. Sic enim consideratis utrinque circumstantiis & rationibus, accuratius poterit judicare de suppeditato consilio, quam si solo eventu eadem metiri velit. Hanc libertatem in ferendis sententiis omnibus aulicis concessit Constantinus Imperator, cujus hæc fuit constitutio: *Si quis est, cujusque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque judicum, comitum, amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter & manifesto probare confidit, quod non integre aut juste gessisse videatur, intrepidus ac securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam; & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo; dicat securus, & bene sibi conscius dicat: Si probaverit, ut dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me usque ad hoc tempus simulata integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit, & comprobaverit, & dignitatibus & rebus augebo.* Vid. Jacob. Martini Lib. 2. Polit. p. 819. Nec inconsultum fuerit, Alphonsum Regem Arragoniæ imitari, qui vivos quoque ac mortuos senatores (legebat quippe diligentissime optimos scriptores, imprimis Cæsarum) in complexum assumpsit, quod hos cupiditate ac metu vacuos liberri-
mis vocibus, quicquid aut facti opus esset, admonituros existima-
ret vid. Aug. Buchner. in Diss. Acad. Disp. 391. pag. 537. Neque Principum saltem hæc cura sit, sed omnium etiam, qui aliorum consiliis utuntur, vel de iisdem ferre debent judicium.

§. 12. Ad præjudicia *inconveniens* & *inepte ratiocinationis* maxime etiam referuntur (4) illa, quæ ex modo propenendi oriuntur. Nihil communius est, quam ut scripta fucata sanctitate referta apud multos inveniunt assensum præ aliorum scriptis, quibus in more positum non est ostentatione quadam affectare sanctitatem, cum satius sit sanctum & religiosum esse quam videri. Quam noxium autem hoc absurda ratiocinationis præjudicium sit, ille haud difficulter animadvertet, qui sententias, quæ de variis scriptis sæpe latae sunt, paulo accuratius pensabit. Certe diabolus in angelum lucis se transformare facillime potest

potest & incautis offerre fucum. Quam affectata quæso sanctitas non occurrit in ipsis pontificum constitutionibus contra B. nostrum Lutherum. Quoties non provocat Papa ad suam conscientiam & summam industriam, quam in promovenda gloria divina & nominis ejus adhibeat, cum tamen mera mendacia sint. Quid vero ad hæc Lutherus? Detrahit ipsi sanctitatis & religionis larvam, verbis non semper lenioribus, sed duris sæpe, si necessitas postulet, usus. Certe hoc semper hæreticorum, qui maximum ecclesiæ damnum intulerunt, proprium fuit, ut sub specie & prætextu sanctitatis tum voce, tum scriptis hominum occuparent animos, quod nemini ignotum est, qui omnium seculorum a Christo nato historiam ecclesiasticam cognitam habet. Novatiani nonne superbissimo atque odiosissimo catharorum titulo se efferebant, propter specialem munditiam, quam sibi vendicabant? Donatistæ tantam sibi tribuebant sanctitatem, ut ecclesiam per totum orbem terrarum dispersam propter vitia morum periisse assererent, excepto angulo illo Africae, quo ipsi degebant. Nestorius, quo eo melius sanctitatem, quam præ se ferebat, hominibus persuaderet, nihil eorum omisit, quibus propositum obtinere posset. Hinc præter pallorem vultus & maciem corporis, utpote ipsi naturales, cogitabundam sibi acqvierebat frontis gravitatem, molestam quandam tristitiam, pullam vestem, cum quibus solitudinis amorem conjungebat. Et quid opus est, hæc recensere, de quibus omnes loquuntur scriptores. Sufficit nobis declarasse, quod in scriptis, quæ tam speciose affectant sanctitatem, sæpe summa lateat spurcicies: ex tali prætextu ergo, si quis de integritate & fide autoris aut doctrinarum veritate judicare velit, non poterit non fallere aut falli & sic præjudicium absurdae ratiocinationis committere. Eadem quoque ratio est, si quis rerum veritatem ex ornatu verborum, falsitatem vero ex verbis neglectim appositis eruit. Tali præjudicio ut plurimum se prostituunt, qui, dum nihil in scriptore taxare audent, stylum & latinum carpunt, ut nihilominus gloriæ ipsius aliquid detractent, cum tamen quæstio non sit, quam ornate & eleganter, sed quam vere scripserit: utut alias nullus negaverim, magnam scriptoris gloriam

gloriam in ornatu & elegantia orationis esse sitam; quæ tamen in philosophicis & theologicis observari semper non potest. Similes profecto tales sunt rusticis, qui ex voce grandisona & clamore stentoreo de concione judicare solent. Certe vix inter doctos numerari merentur, qui ejusmodi fucō atque nebula oculos sibi obscurare patiuntur. Aut enim aliquis plane sustineat judicium, aut in judicando se ita gerat, ne cum aniculis conferatur, quæ plus sæpe fidei habent circulatori absurdo, quam perito Medico, qui tantis ambagibus medicinam suam non commendat.

§. 13. Demum ad *inconvenientis ratiocinationis præjudicia* (5) & illa spectant, quando ex patria de hominis ignoti ingenio & moribus judicamus. Verum quidem est loca, ubi quis natus est, multum conferre ad hominum ingenia, unde diversæ gentes vel bene vel male audiunt ratione virtutum vel vitiorum ipsis quasi congenitorum. Ita Germanorum beneficentia & bellandi ardor; Italarum superbia & vis ingenii; Gallorum intemperantia, levitas, & temeritas; Asiaticorum mollities; Cretensium mendacia, satis a scriptoribus declarantur, de quibus conferri possunt. *Barcl. in Icon. Anim. Neubusius in Theat. ingen. Huart. Scrut. ingen.* aliique plures, qui illam materiam ex professo tractant. Verum hæc non perpetua sunt, nec ad omnes semper quadrant. Quo ergo melius aliquis ab ejusmodi præjudiciis sibi cavere queat, probe observet: dari quidem certas notas populorum & gentium, verum ita comparatas, ut æternæ & perpetuo constantes non sint, sed mutabiles maxime. Certe qui ex Taciti antiquorum Germanorum descriptione, & moribus illis assignatis, modernos judicare vellet, magnum committeret præjudicium. Germania enim hodie longe aliter se habet, & cum olim inculta & maxime barbara gens fuerit, jam satis eam excultam, & paucis elegantia cedere, manifestum est. Ita si Gallorum mores a veteribus, *Cæsare, Livio &c.* descriptos consideramus, non omni ex parte cum modernis convenire, ex recentioribus scriptoribus potest esse manifestum. Imo, utut omnia inter scriptores veteres & recentiores de Gallorum moribus & ingeniis inter se conspirarent, mollitiem tamen & tæ-

C

dium

dium laboris ac belli sustinendi, ipsius passim tributum, vel bellum haecenus gestum, declinare ab iis & remove videtur. Posse autem facile mutari ita populorum ingenia, ex variis ipsorum commerciis, migrationibus, commixtionibus, negotiis bellicis &c. nemini facile erit dubium. Sed esto, compertum aliquis maxime habeat, ita vel aliter hujus aut istius nationis comparata esse ingenia, illud tamen non de omnibus individuis intelligat, cum tales gentium descriptiones de plurimis saltem loquantur. Sic Germani passim propter bibacitatem male audiunt, absit vero, ut de omnibus ac singulis id ipsum procedat. Nam in gentibus libidinosi etiam temperantes; in bellicosis ignavi, in superbis modesti; in mendacibus veraces inveniuntur. Ut sic universaliter pronunciare non liceat.

§. 14. Tertio loco ad praëjudicia intellectus referuntur, praëjudicia *Autoritatis*. Committuntur autem haec, quando vera judicamus esse, quæ ab hoc vel illo in autoritate constituto percepimus, non considerata simul re ipsa, an ita se habeat nec ne? Faciunt autem huc imprimis personarum pieras, ætas, dignitas, existimatio, aliæque circumstantiæ, quæ mentibus hominum fucum vendere possunt. Tale praëjudiciorum genus impingunt communiter omnibus Philosophis sectariis, qui scilicet vel Aristotelicos, vel Stoicos, vel Cartesianos &c. se profitentur. Et verum quidem est, si quis ita in verba unius Magistri juraret, ut nulla in parte ab eodem recedendum putet, quicquid etiam alter dicat, aut quæcumque demum ratione cum veritate comparatum sit. Alias, si unum sibi proponat, quem imprimis sequatur, ita tamen, ut non cæco impetu omnia ejus asserta approbet, sed sub examen vocet singula, & quandoque, necessitate urgente, quædam etiam mutet, addat, detrahat &c. tunc a praëjudiciis autoritatis liberari illum posse, facile concesserim. Est certe magna vis ad movendos hominum animos in diu spectatæ probatæque virtutis opinione posita: ac multi quiescunt & continent se, non quod cohibiti viribus, sed clarioris fortitudinis metu pacem malunt. Quid ergo mirum, si in eruditorum quoque certaminibus ac controversiis componendis aut reprimendis autoritas sæpe profacun.

facundia sit, nec magis obtineat, qui plurimum contendit, quam qui posse plurimum videatur? Nec nego, conducere saepe, ut viri inter eruditos maximi tanta polleant autoritate, quorum iudicio controversiae quaedam inutiles & merae sapientiae rixae componantur: quia alias nemo facile a tenaci proposito desistit, & in infinitum augentur lites.

§. 15. Cum autem satis tritum sit, *praesudicia autoritatis* hominibus etiam verissima docentibus objicere, videbimus brevissimis, quantum veritatis talia obtineant. Hic autem praeter ceteris observandum, non statim praesudicia autoritatis illum comittere, qui non cuius scio in recentiori quadam sententia statim assurgit, sed cum veteribus facit, siquidem se satis rationibus munitum novit, quibus in defendenda sententia uti queat. Certe plurimi Philosophi hodie adversa fronte mutuo in se incurrunt, & nemo eruditus iudicatur, nisi qui aut veteres de ponte dejicit, aut novas hypotheses nova etiam cudat principia, saepe tamen absurdissima. Quo ipso tam difficile ac tedium redditur studium philosophicum, ut multi a summa eius utilitate absterrentur. Percurrat aliquis omnes Philosophorum sectas recentiores, & nullo negotio deprehendet, illos, qui a praesudiciis immunes se servare volunt, grandia & pessima saepe, licet alius generis, committere praesudicia. Nam magnum statim perversi animi signum est, quando aliquis in hac vel illa opinione a veteribus abit, & reliquos cum his sentientes fugillat, traducit, praesudiciis autoritatis onerat, adeoque bellum ipsis indicit. Eo ipso enim turpe philantropiae illicitae praesudicium incurrit, de quo in subsequentibus agemus. Haec quippe via ad inveniendam veritatem non est, sed potius tales illa requirit gradus, ut aliter sentiens modeste suam sententiam proponat, aliorum iudicia & rationes in contrarium expectet, ut sic ab utraque parte scrutinium veritatis suscipiatur, & consideratis utrinque rationibus sine acerbitate & bile demum manifestum appareat, quidnam veritatis sententiae cuidam subsit, quid minus? Si hoc modo res acta & compertum fuerit, rationibus manifestis & apertis aliquem esse convictum, qui tamen nihilominus sola veterum autoritate pugnare,

& in clarissima veritatis luce cœcutire malit, tunc sine dubio, eundem præjudicium autoritatis committere, affirmare possumus. Verum nihil intolerabilius est, quam si quis sibi soli monopolium sapientiæ vendicat, & reliquos sicut umbras volitare credit, adeoque nil nisi præjudicia autoritatis crepat, cum tamen nunquam demonstraverit, nec demonstrare forte possit, oppiniones aliorum ac sententias sibi contrarias falsas esse: quod tamen recta ratio & æquitas postulare. Res enim profecto magni momenti est, accusare aliquem præjudicii autoritatis, quia idem est, ac si summam ignorantiam & supinam de eo affirmarem negligentiam. Unde caute hic procedendum, cum res ut plurimum facilius dicatur quam probetur.

§. 16. Ut vero appareat, non semper audiendos esse, qui nova proponunt, sub prætextu veritatis, quæ hactenus quasi suppressa, jam vero resuscitata ab ipsis sit, non de omnibus philosophis demonstrabimus, multum semper detrimenti attulisse philosophiæ, nimium novitatis & præjudicia autoritatis evitandi studium, quo nimirum factum, ut tales homines sibi solis placerent & reliqua inconsulto spernerent omnia, hæc enim res non inutilis quidem, sed nimis proluxa foret: sed vel unico exemplo id demonstrasse sufficiat. Prodeat hic Renatus des Cartes, vulgo Cartesius dictus, vir, ob insignes animi dotes & egregium ingenii acumen, admirandus. Hic si in restauranda veterum philosophia suam collocasset operam, nec nimis novitati studere, omnes aliorum sententias plane exuere & ultra modum dubitare animum induxisset, plus certe momenti & utilitatis ex ipsius philosophia nobis possemus promittere. Verum non poterat aliter fieri, quam ut falleretur Cartesius, dum omnia præceptorum suorum asserta, & quæcunque ab iis perceperat, uno nomine contemnebat, & pro erroribus, vanis positionibus, incertis conjecturis &c. habebat: Verba ejus in diss. de Methodo p. 2. seq. hæc sunt: *Ab ineunte ætate ad literarum studia animum adjeci, & quoniam a præceptoribus audiebam, illarum ope certam & evidentem cognitionem eorum omnium, quæ ad vitam utilia sunt, acquiri posse, incredibili desiderio discendi flagrabam. Sed simulac illud studiorum*
curri-

curriculum absolvi, quo decurso mos est in eruditorum numerum
cooptari, plane aliud capi cogitare. Tot enim me dubiis, totq;
erroribus implicatum esse animadverti, ut omnes discendi conatus
nihil aliud mihi profuisse judicarem, quam quod ignorantiam me-
am magis magisque detexissem. it. p. 6. Quapropter, ubi primum
mihi licuit per atatem e praeceptorum custodia exire, literarum stu-
dia prorsus reliqui: captoque consilio nullam imposterum quaerendi
scientiam, nisi quam vel in me ipso, vel in vasto mundi volumine
possem reperire, insequentibus aliquot annos variis peregrinationibus
impendi. Quid quaso hoc aliud est, quam sibi soli promittere
omnem sapientiam, reliquos vero singulos ante se in universum
contemnere, utpote in quibus nihil praeter inanes voces reperire
liceret. Sed si hoc non est audacia, studium contradicendi, phi-
lantia &c. nescio quid demum. Qvis enim crederet nihil plane
boni & veri eum hausisse a praecipitoribus, quibus, ut ferunt,
doctissimis semper abundavit? Equidem, ut propositum hoc om-
nia spernendi, vel ad minimum de omnibus ultra modum du-
bitandi legitimum judicarent alii, studium investigandae veritatis
& evitandi praconceptas opiniones seu praerudicia autoritatis pra-
tendebat. Verum quomodo evitaverit ex primo ejus cognoscen-
di principio constat, cum enim semel sibi proposuisset, nihil eo-
rum retinere, quae ab aliis manifeste essent proposita (ut ait qui-
dam asserat, eum plurima hausisse ab aliis, de quo tamen non
judico vid. Haetius in *Cens. philos. Cart.*) neque primum co-
gnoscendi principium Aristotelicum ipsi placebat, cujus tamen
manifestam & invictam veritatem nullo negotio potuisset perci-
pere, aliud sibi satis absurdum excogitabat principium primum:
Cogito, ergo sum. Non erimus prolixi impraesentiarum in demon-
stranda falsitate illius principii, cum ab aliis jam sufficienter fa-
ctum sit. vid. *Philos. Burgund.* Potest autem quivis nullo negotio
judicare ex defectu requisitorum principii in genere, quod debet
esse nuda, vera, certa ac unius sensus propositio. Talis autem
non est, siquidem integrum enthymema exhibet; nec gignit cer-
tum sensum, quod ex diversis explicationibus autorum constat.
Praeterea ad principium requiritur, ut in Syllogismo locum vel
majoris

majoris vel minoris explere possit ad eliciendam propositionem
aliam, quod itidem ad Cartesianum principium non quadrat. Sic
infallibile quoque non est, ex quo tamen imprimis judicare li-
cet principium primum. Demum quomodo Cartesius se ipsum,
& cognitionem sui fundamentum & principium omnium verita-
tum philosophicarum ponere potest, ubi plane nulla datur con-
nexio. Hoc ergo dixisse hic sufficiat, Cartesium (in hoc imprimis
momento) magis novitatis quam veritatis studiosum fuisse, & eo i-
pso, dum præjudicia autoritatis evitare voluit, in duo alia graviora
præjudiciorum genera incidisse. Colligit enim Cartesius ex hoc, quod
sensus interdum fallant, eos semper fallere aut fallere posse, quod
jamtum supra præjudicium absurdæ ratiocinationis diximus. Quod
autem juxta hoc principium velit, ut aliquis omnia ex animo de-
leat & pro falsis habeat, quemadmodum de se ipso dubitare ce-
pit, an corpus manus aut pedes habeat, & ex hoc inferat pri-
mum cognoscendi principium adeoque fundamentum omnis co-
gnitionis ac Philosophiæ esse: *cogito, ergo sum*; in hoc non
solum idem præjudicii genus jam dictum, sed etiam præjudici-
um affectuum (de quo mox) incurrit. Vix enim apparet, quid
respondere possit Cartesius objicienti: si de omnibus dubitandum
& singula ex animo ceu falsa delenda, quidni etiam de hoc, num
aliquis cogitet? cum hic major incertitudinis occurrat suspicio.
Si ad conscientiam provocare vellet Cartesius, alter reponeret, se
jam rejicere conscientiam & eam ceu falsam fingere, seu quod
plane talem non habeat. Eodem ergo jure posset aliquis prima co-
gnoscendi principia constituere: *nasum vel crines habeo, ergo sum.*

§. 17. Idem non solum ex aliis Cartesii sententiis, sed &
pluribus recentioribus Philosophis demonstrare haud difficile fo-
ret, homines nimium aliena averfando & autoritatem fugi-
endo, sæpe in longe incidere pejora. Sed instituti nostri ratio
aliud requirit. Ut ergo constet, quo fine hætenus dicta in me-
dium proposita sint, notamus, ad evitanda præjudicia autoritatis
facere, ut aliquis in sententiis aliorum dijudicandis & veritate
investiganda, non tam attendat, quis aliquid dicat, sed quomodo
& quid dicat. Item neque ex antiquitate neque ex novitate, sententiæ
suffici-

sufficiens produci posse argumentum pro ejus vel veritate vel falsitate demonstranda. Ubi tamen antiquitas in tantum prerogativam habet praenovitate, in quantum plurimorum consensum praesupponit. Nam ab eo, quod omnibus vel pluribus, vel maxime sapientibus probatur, temere recedendum non est. Et ingens profecto argumentum, si non apodicticum, tamen probabile, pro sententiae cujusdam veritate desumitur ex consensu plurimorum eruditorum. Quando vero solus consensus rem conficere debet, aequè parit praesudicium autoritatis. Nam ubi evidens ratio contrarium svadet, nihil valet autoritas humana, & multitudo errantium non parit errori patrocinium. Cartesius tamen justò latius progredi videtur, quando dicit, homines exemplo potius & consuetudine, quam ulla certa cognitione duci, quod exemplo vestium declarat, ubi, quod maxime nobis placuit ante decem annos, & forte post decem annos rursus placebit, nunc ridiculum videtur & ineptum. Imo addit, circa ea, quorum veritas non facile investigatur, nulli rei esse minus credendum, quam multitudini suffragiorum, cum longe verisimilius sit, unum aliquem invenire illa potuisse, quam multos pro Disput. de Methodo. Ubi circa prius assertum quidem concedi potest, quandoque illud contingere, sed quod perpetuum hoc sit & absolute verum, non facile impetrabit ab omnibus, ut credant. Ita nulla apparet ratio, cur posterius assertum mereatur assensum, unum melius, quam multos invenire posse veritatem alicujus rei difficilis, quoniam hoc potius contra sanam rationem esse videtur. Optimum proinde erit, ut videamus, ne antiqua omnia nimis fordeant, nec brutorum instar ab autoritatibus sine omni ratione trahamur,

§. 18. Consideratis nunc illis, quae ad intellectum primario spectabant, demum ad affectus pergimus, qui non pauca efficiunt praesudicia. Spectant autem huc imprimis amor, odium, complacencia, philantia illicita, studium contradicendi &c. Et quidem praesudicia amoris & odii imprimis impediunt veritatem, a quibus magni viri saepe immunes non sunt. Manifestum exemplum praesudicii amoris & odii habemus in Cartesio. Henricus Regius Prof. Ultraj. conscripserat theses quasdam, in quibus assererat, hominem esse ens per accidens, & negabat formas substantiales. His absurdis po-

siti-

sitionibus, Gisbertus Voëtius (amicus alias Regii, & qui multum pro hoc laboravit, ut Prof. Publ. fieret) itidem theses disputandas proposuit, in quibus sententias illas examinavit & rejecit. Cum ergo Regius disputare contra Voëtium non auderet, & tacere tamen nollet, scriptum composuit, idque Cartesio transmisit, exquirendo ipsius iudicium. Hinc Cartesius, ut sciret sententias illas falsas esse, & exprobraret etiam Regio, ceu imprudenter ab ipso factum, quod homines dixisset ens per accidens, quodque palam edisseruisset, formas substantiales non esse, nihil secius ex amore erga asseclam ad se confugientem & auxilium implorantem, & in odium adversus doctissimum Voëtium non modo instruxit Regium, quo pacto posset fucum facere, & sententiam suam incrustare, sed & excusavit eundem, & sententias elevavit in peculiari quadam Epistola. Hoc certe nemo unquam dicere poterit studium veritatis, qui præjudiciis affectuum vacuus est. Equidem Gisbertum Voëtium quoque vario modo præjudicii affectuum, imprimis odii & superbiæ reum esse dicunt in ipsis illis controversiis, quas habuit cum Cartesio. Ubi tamen simpliciter pronunciare non possum, an ex odio & superbia, quin potius ex justa indignatione, quod Cartesius tanto fastu omnes veteres contemneret, paulo severius & acrius contra eundem dixerit: liberare autem illum nolo, cum sæpe mitius agere & benignior erga Cartesium esse potuerit, quin imo debuerit. Nolumus cumulare hic exempla talium præjudiciorum, cum res ingrata sit, & praxistoto die talia ostendat. Fugienda autem maxime a viro ingenuo & cordato.

§. 19. *Præjudicia complacentiæ* illi communiter committunt, qui sputum alterius lambunt, & ideo saltem quædam affirmant vel negant, ut alteri placeant, ejusdemque favorem retineant. Hoc parasitorum genus pessimum inter mortales & orbi erudito maxime exitiosum est, cujus tam fertilis hodie mundus, ut ubique de ejusmodi malorum lerna conqverantur homines. Nihil enim tam bene dici potest, quod talis parasitaster non rodat. Hinc tot libelli famosi, tot injuriosa scripta tabernas librarias replent, ut mens bona & pia eadem horreat. Quot monstrosa, explosa, absurda, imo nefanda, in publicum non protruduntur dogmata? eo saltem fine ut huic vel isti agre faciant, licet
totus

totus mundus scandalum inde capiat. Quis nescit conducta illa mancipia, qui convitiis alios proscindunt, & quicquid in buccam venit in innocentissimos homines exspuunt & eructant, memores illius: *Calumniare audacter, semper aliquid heret.* Sed tædet chartam & calamum hoc impuro hominum genere maculare. Vescantur carduis suis secure, nos nihil turbabimus, sed ad alia pergendum ducimus.

§. 20. Præjudicia *philantia* optimis etiam ingeniis tam noxia sunt, quam nulla alia, & nihil magis officit conatibus ad perfectionem aliquam contendentibus, quam nimia confidentia ac cæcus amor sui. Hoc multi non raro excœcantur, ut adeo mirum haud sit, si videre nequeant, quid desit, quid supersit; sicque, dum plus, quam par est, sibi tribuunt, seipsos decipiant, aliisque ridendi materiam suppeditent. Utinam in seipso interdum animadvertisset Cartesius, quod de aliis præclare & vere dicit: *Permultis sunt, qui, cum plus aequo propriis ingeniis confidunt, nimis celeriter solent judicare, nunquam satis temporis sibi sumunt ad rationes omnes circumspiciendas, & idcirco si semel ausint opiniones omnes vulgo receptas in dubium revocare & velut a trita via recedere, non facile illi semita, quæ rectius ducit, semper insistent, sed vagi potius & incerti in reliquam vitam aberrabunt.* Disp. de Meth. p. 10. Digna sunt verba Platonis, quæ huc adscribantur: *Omniunum maximum quoddam malum in multorum hominum animis est ingenitum, in quo, cum sibi indulgeant, remedium, quo se ab illo liberent, expedire nullo modo possunt. Est autem id, quod dicere solent, unumquemque sibi natum amicum esse, & recte profecto, si hujusmodi esset erga se unusquisque; at revera usu venit, ut omnium malorum, quibus hominum vita involvitur, nimius sui amor causa existat. Is enim, qui amat, circa id, quod amat, sane obcœcatur, ac proinde de rebus justis, bonis, honestis male judicat, quum in ea est sententia, ut opinetur majorem sibi, quam veritati honorem tribuendum. Non tamen decet eum, qui vir magnus sit evasurus, in rebus suis acquiescere, sed ea potius complecti, quæ vel apud seipsum, vel apud alium quempiam juste fieri videantur. Ex eodem vero peccato hoc etiam omnibus contingit, ut quandoque imperitiam suam*

D

sapi-

sapientiam esse arbitrentur: hinc fit, ut quum nihil (ut ita dicam)
 norimus, omnia tamen nos scire opinemur. Quum vero nos neque
 aliis permittamus ea agere, quae tamen ignoramus, fit, ut ipsi illa ag-
 gredientes facere, turpiter erremus. Itaque unusquisque a caeco
 illo sui amore abhorreere debet, & seipso meliores sequi, ut hujus-
 modi quidem in re nullam verecandiam praetexat, qua a rebus pra-
 elare agendis impediatur. L. 5. de Legib. Exempla horum pra-
 judiciorum adjicere nolo, cum tot ingeniorum abortus prostant,
 ex quibus quilibet hunc defectum facile supplere poterit. Quo mi-
 nus vero decet virum ingenuum, suos tantum ingenii foetus simia-
 rum instar admirari & amare, reliqua vero alto supercilio spernere;
 eo magis quilibet laboret, ut hoc summæ vanitatis jugum excutiat,
 & saniora cogitet. Quod ipsum melius non præstabit, quam co-
 gnitione sui ipsius. Huc enim spectat antiquæ sapientiæ præceptum,
 γνώσι σεαυτὸν, quo jubemur, ut sese quisque cognoscat. Quod o-
 mnibus hominibus, cujuscunque etiam conditionis sint, summe
 necessarium jam olim judicarunt Sapientes: τὸ γνώσι σεαυτὸν, τὸ
 θεὸν ἀγαθὸν ἑλμα ὃ καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος πάσης ἐστὶ φιλοσοφίας
 καὶ εὐζωίας. Nosce te ipsum, mandatum Dei est: principium & finis
 omnis Philosophiæ & rectæ vitæ. Simplic. in Epict. c. 29. Quo pacto
 si quis modestia & assiduo examine suas explorare vires tentabit,
 longe facilius ad veram perveniet sapientiam, quam stulta illa sui
 admiratione.

§. 21. *Præjudicia*, quæ ex studio contradicendi oriuntur, suf-
 ficienter etiam loquitur praxis. Omnes quidem veritatem clamant,
 quam pro fine habent, sed si paulo penitus rem inspiciamus, non
 obscura aderunt signa, eum in finem nova & peculiaris sæpe exco-
 gitari dogmata, ut sciant alii, nos adesse. Arbitrantur quippe ejus-
 modi lumina, (si Diis placet) sub communiter receptis dogmatibus
 nomina sua ita non posse inclarescere, quam si aliquid peculiaris &
 singularis adducant, cum tamen non claros & celebres, sed infames
 potius ob perversum illud contradicendi studium se reddant. Pro-
 deant h. l. illi, qui ex nefando contradicendi studio ad ipsam summi
 Numinis existentiam negandam conatus suos & studia adhibent,
 & contra omne internum cordis dictamen, scelerum vindicem & bo-
 norum

norum remuneratorem & protectorem inficiantur, saltem ut gloriam captent, si rem tam manifestam & claram, omniumque populorū consensu comprobata negent, & quantum ingenio valeant, in hoc abominabili negotio prodant. De quibus plurima prostant scripta, quæ adire quivis pro lubitu potest. Quam crasse & impie Dei pariter ac Dæmonum omnium existentiam negent Hobbesius & Spinoza, adeo, ut ex solo contradicendi studio, Scripturæ, rationi & omnibus sensibus bellum indixisse videantur, omniaque aliorum asserta contemnant & eludant, notissimū est. Vid. de his & aliis *B. D. Natbanaël Falck, in Damonol. recent. autor falsa.* Magnum illum Hugonem Grotium, Virum, ob excellentissimū ingenium & eruditionem summam, admirandum, quo non deduxit contradicendi studium? Certe si insignes ingenii sui vires non tam ad vera dogmata impugnanda, quam defendenda applicuisset, majores ipsi deberentur laudes. Verum quam pessime sæpe in ipsam Scripturam S. alienos & incongruos invexerit sensus, solide satis monstravit B. D. Calov. in Bibl. Illustr. Ita nullam aliam comminisci possum causam, cur Cartesius tam vehementissime invehatur in Logicam, omnemque ipsi deneget usum, quam studium contradicendi, siquidem verisimile esse non videtur Cartesium h. l. ita locutum esse, quam judicavit; adsunt enim non pauca, ex quibus apparet, plane aliud ipsi fuisse persuasum. Fortassis tamen hanc ejus sententiam auxit elegantissimarum instantiarum opus a Gassendo conscriptum, in quibus semper eum ejusmodi verbis urget, quæ vim concludendi syllogisticam continent. Et hac ratione duplex affectuum præjudicium commisisset. Nec ipsum Aristotelem ab hoc præjudicio ex studio contradicendi orto absolvere possumus; siquidem in doctrina de summo bono & ideis Platonis sæpe præceptor affingit mentem alienam, ut ut semper affirmet, se nullum alium in refutando Platone habere finem, quam veritatem. Huc spectat etiam vulgus Philologorum seu Philologastri, qui inutiles interdum propter vocem lites movent, quam tamen ipsi recte non intelligunt; nec non qui genium linguæ non satis capientes optimos interpretes inique taxant & reprehendunt. Plura dari affectuum præjudicia non nego, temporis tamen & instituti ratio non permittit, ulterius in ea inquirere,

nec etiam ipsa res exempla requirit, unde breviores hic, quam in antecedentibus ducere lineas possumus.

§. 22. Non obscurum ex hæcenus dictis esse arbitror, quantum damnum studiis afferant præjudicia, & quam difficulter aliquis iisdem ligatus in veritatis investigandæ cursu progredi queat. Nullam ergo in damnis illis prolixè recensendis collocabimus operam, cum quivis, cujus oculi fascinati non sunt, plura eorum videbit, quam videre desiderat. Brevissimis potius in eo erimus occupati, ut universalem aliquam illis paremus medicinam. Ubi palmarium requisitum est, ut quivis erudito orbi profuturus pro virili crassæ ignorantia tenebras dispellere laboret. Cum enim ab ipso summo Numine naturalis appetitus scientiæ omnibus hominibus inplantatus sit, quod tum universalis experientia, tum communia illa naturalis luminis & rectæ rationis principia testantur, non melius aliquis divino instituto & suo officio satisfacere potest, quam si legitime illa sciendi media adhibeat, & quantum potest turpi ignorantia se liberet. Nam stolidos & superstitiosos monachos, fratres ignorantia dictos, & alios, qui ex malitia & protervia felicitatem in ignorantia quærunt, non curamus, cum tales hominum nomine indigni sint. Qui enim naturali huic instinctui repugnant, & dum omnes homines natura scire desiderant, dicente Arist. lib. i. metaph. c. i. nihilo minus ignorantiam affectant, humanam quasi naturam exuunt. Certe qui summa illa elogia sapientiæ ceu maximi boni, & ignorantia ceu infelicis mali vituperia ex Salomone sapientissimo paulo penitus considerat, non poterit non desiderio sciendi flagrare & ignorantiam fugere. Quo ipso tamen immoderatū sciendi raptum non probamus, quo acti credenda, imperscrutabilia, inutilia &c. nihil curiosè perscrutari, sed frustra, intendunt, eoq; plus damni quam emolumenti sibi attrahunt. Dantur enim multa in scientiæ campo, in quæ per intellectus nostri imbecillitatem penetrare nō possumus. Nec omnia etiam scire conducit, cum quædam satius ignorentur, quam sciantur. De illis ergo monitum hoc intelligi nolim.

§. 23. Ut autem ignorantia hæc discussio legitime suscipiatur, evitanda maxime pessima singularitas, qua ducti homines, ab aliis semper distingvi volunt, & communia veræ sapientiæ dona fastidi-

fridiunt, & illud solum admirantur ac æstimant quod rarum aut singulare est. Hæc enim unica videtur esse causa, quod, ingenia non spernenda, absurdissimas sæpe amplectantur opiniones eò, quod singulares & novæ sint, unde libenter se erroribus & ignorantia implicant. Arcto cognitionis vinculo cum hæc singularitate coheret soli scientia in §. 20. jam rejecta. Huic enim addicti omnia ex propriis viribus, ex aliis nihil haurire desiderant, quoniam omnes universæ sapientiæ fines ingenii sui terminis conclusos putant. Unde in minimis inventis gloriantur, quæ tamen præstantiora ingenia vix æstimarent. Neque in hoc acquiescunt, sed alios communiter contemnunt, & eorum labores deprimunt, quasi cum ejusmodi sciolis & ipsorum asseclis sapientia interitura sit. Quodsi autem ex aliis sua defumant, nolunt tamen tales videri, qui aliorum ope profecerint. Ejusdem commatis est vana multorum omniscientia, ratione cujus quidam aliorum cedunt vineta, & dum in hoc vel illo studiorum genere excellunt, in omni sapientiæ parte Dictatores esse cupiunt. Alii vero in multis libris, aut historica eorum notitia omniscientiam quarunt, & sic non exiguam sibi fingunt eruditionem, cujus tamen ne limen quidem salutarunt. Hæc profecto præ aliis veræ sapientiæ obsunt & præjudicia tot, tamque absurda gignunt, ut enumeratione indigna ducam. Proscriptis autem his impedimentis, in sapientia comparanda & ignorantia repellenda constantia adhibenda est: sicut enim uno ictu non cadit arbor, ita una actione neque virtus acquiritur, neque unius vel alterius rei aliquali cognitione vera comparatur scientia. Nec desperandum statim si non ex voto omnia succedunt, sed labori jungenda patientia.

§. 24. Dictis sua constabit veritas, jam de illo disquiritur, quibus mediis aliquis uti debeat ad propellendam ignorantiam & scientiam comparandam, imprimis talem, quæ ab omnibus præjudiciis libera sit. Cartesius consilium tale suppeditat part. 1. princip. phil. §. 1. & 2. p. 1. *Quoniam infantes nati sumus & varia de rebus sensibilibus judicia prius tulimus, quam integrum nostræ rationis usum haberemus, multis præjudiciis a veri cognitione avertimur; quibus non aliter videmur posse liberari, quam si semel in vita de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspensionem*

reperimus. Quin & illa etiam, de quibus dubitavimus, utile erit habere pro falsis, ut tanto clarius quidnam certissimum & cognitu facillimum sit, inveniamus. Hic equidem nulli negamus, dubitationem, non omnem quidem, sed circumspectam & genuinam (quæ fluctuatio animi est, ex re incerta & obscura orta, adeoq; assensus vel dissensus suspensio) omnibus in Philosophia excolenda occupatis maxime esse commendandam, utpote qua id effecerint, ut præcipitantiam & festinationem in judicando noxiam vitent, & libertate sentiendi a Deo sibi concessa legitime utantur. Et hæc dubitandi ratio non Cartesio demum debet originem, sed a veteribus Philosophis, Socrate, Platone, Aristotele, Cicerone, aliisque pro non spernendo veritatem inquirendi medio fuit habita; quod prolixè demonstrare possemus, si institutum nostrum permetteret. Verum hæc dubitatio a veteribus satis coarctata, post nimis fuit extensa & majorem peperit abusum, quam usum. Unde universalem illam dubitationem, quam Cartesius præscribit, nemo nisi cum summo studiorum detrimento approbare potest. Imprimis quando cum hac dubitatione conjungit, ut omnia ex animo deleantur & pro falsis habeantur, unde aliquot annos huic dubitationi se impendisse scribit Diss. de Meth. Cur enim illa pro falsis haberem, quæ notissima sunt, vel quorum notitia multo labore comparata? Ut autem brevissimis pateat, quid de dubitatione illa habendum sit, & quantum ad evitanda præjudicia faciat, (a) ipsum dubitationis *objectum* distingvendum est. Quod si ergo sub objecto dubitationis Deus, res divinæ, & mysteria simul comprehendantur, non dubitamus asserere illam dubitationem, ad minimum periculosam & Christiano homini minus convenientem esse. Deinde cognoscenda se nobis offerunt vel certissima, & nulla difficultate laborantia, vel incerta, obscura & difficilia. De posterioribus omnino non solum concedenda dubitatio, sed summe etiam utilis, imo necessaria est, ut quis judicium suum tamdiu suspendat, donec probe consideratis rationibus pro utraque sententia, demum appareat, quænam verior aut probabilior existat. De prioribus vero, qualia sunt principia nobis con-nata & congenita, quorum veritas tam clara & perspicua est, ut ex ipsa simplicium terminorum apprehensione & cognitione statim appa-

appareat, dubitare velle, non adeo congruum, sed inconstan-
tiam arguere videtur. Aliqualem tamen subdubitationem,
quæ in examinandis aliorum sententiis imprimis suboritur, cir-
ca omnes veritates & objecta locum habere posse, non nimis
negarem: quamvis hæc nomen dubitationis apud omnes for-
san non obtinet. (β) De *Subiecto* dubitationis notandum,
non omnibus promiscue concedendam eam esse, sed illis
saltem, qui maturo & confirmato iudicio, debita eruditione, aliis-
que mediis ad veritatem investigandam necessariis præditi sunt.
Alias, si discipuli de omnibus præceptorum assertis dubitare præ-
sumerent, nullam majorem studiorum cursui injicere possent mo-
ram. Sic enim nihil scirent, neque discerent, sed *αυτοδιδαντοι* in-
felicissimi ignorantiae tenebris se involverent, variaque incurre-
rent præjudicia, quæ tamen fuissent evitanda. Quod (γ) ad *tem-
pus* attinet, dubitatio non debet esse perpetua, seu, propterea non
est dubitandum, ut in dubitatione & incertitudine subsistamus,
quod fecerunt olim Sceptici, qui ita dubitabant, ut nihil plane asse-
rerent, & de omnibus rebus pronunciarent: *non magis est, quam
non est*; sed potius ut veritatem percipiamus & certi aliquid post
dubitationem ex argumentorum & rationum pondere asseramus.
Hæc siugula circa dubitationem probe si observentur, facile admit-
to illam magnum momentum esse ad evitanda præjudicia.

§. 25. Alii optimam viam ad veritatem & præjudicia fugienda
allegant libertatem philosophandi. Verum & hæc certis circumscri-
benda limitibus est, ne in effrenem sentiendi de omnibus pro lubitu
licentiam abeat. Nemini quidem autor esse possum, ut omnem suam
doctrinam (in philosophicis imprimis) in unius hominis autorita-
te resolvat, & ab uno expectet, quod ab omnibus præstari vix potest.
Interim probe observandum, ne nimis illa extendatur libertas, nec
omnibus aut omni tempore concedatur. Fuerunt quippe, & forsitan
adhuc sunt, qui libertatem philosophandi ita explicant & extendunt,
ut in fidem etiam & res Theologicas grassari, & harum fundamenta
evertere audeant; cujus pessimæ libertatis philosophandi plura pro-
stant exempla quam optamus. Sed hoc plane inconveniens est.
Pariter nec sub prætextu hujus libertatis honestissima instituta vio-
landa

landa sunt, in quorum labefactione salus saepe reipublicæ periclitatur. Sic qui ad id exposceret libertatem philosophandi, ut errores suos protrudat in publicum, libidinem cavillandi & sugillandi optime de re literaria meritos viros expleat, omnia bene dicta & hactenus recepta dogmata nondum labefactata imprudenter ex scholis eliminare & sub jugi prementis specie excutere laboret; ille eadem se defendere haud potest. Neque hoc conducere, morem in quibusdam Academiis prudenter receptum, quo dux alicuius ex veteribus Philosophis eligitur, cujus vestigiis potissimum docentes insistant, imprudenter immutare. Non enim eo fine hoc factum est, ut juramenti fide ad eum adstricti sint, & ne latum unguem ab eius sententiis recedere queant, sed ut salva circumspecta philosophandi libertate, viæ saltem præcludantur, scepticismo & intempestivo ac temerario novitatis ac singularitatis studio. Ex his autem sponte fluit, ante debitos annos, maturum iudicium, & sufficientes vires nemini hanc libertatem concedendam esse: secus enim barbaries, ignorantia, aliaque absurda facillime introducerentur. Tandem enim præceptores adhibendi, donec aliquis proprio studio verum a falso discernere aptus est. Cætera, quæ huc spectant, ex supra dictis possunt esse manifesta.

§. 26. Tandem hoc necessarium veritatis consequendæ, & præjudicia fugiendi monitum adjicimus, ut quis de legitimo primo cognoscendi principio sollicitus sit. Hoc enim falso, cui tamen ceu fundamento omnis sapientia philosophica inniti debet, certe omnia eidem superstructa facile corruerent. De Cartesiano superius dictum fuit. De aliis prolixè h. l. disserere, eademque itidem rejicere, nostri jam laboris non est, nec charta permittit. Illud dixisse sufficiat, Aristotelico cognoscendi principio primo: *Impossibile est idem simul esse & non esse*, melius haud inveniri: Stat enim contra omnium, quotquot illud labefactare aggressi sunt, conatus adhuc inconcussus. De cuius veritate, primitate &c. vid. B. Donati in Doctr. Reg. Procem. pag. 8. seqq. Nos filum hic abrumpimus, reliqua benevolo Lectori expendenda relinquentes.

S. D. G.

Wittenberg, Diss., 1626-27


ULB Halle 3
005 607 612



TA → α

Witten







19
15

1696

Q. B. V.

DE

PRÆJUDICIIS,

Sub

PRÆSIDIO

M. ANDREÆ Löffers /

F A C. PHIL. ADJ.

publice differet

CHRISTIANUS ANDREÆ,

Hala-Saxo,

In Auditorio Majori,

Ad D. 14. Mart. 1696.

H. C.



VITENBERGAE.

EX FORMIS CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

